



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

De Imperatoribus & Regibus. Capvt XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

plateas vagentur, & veri interni itineris profus immemores ac rudes sint. Quanquam sunt inter eos qui rectè habeant, sed ij perrari. Certè si diuina gratia ob verborum sermonumq; affluentiam, subtilitatem ac leporem cuiquam præstanda foret, multi ex eis gratia locupletessent. Sed reuerà non in multis, acutis ornatique sermonibus perfectio & vera sanctimonisita est, sed in humili potius, submissoque & moderato ac resignato fundo vel animo, cuius sicut & cæteri, parum habent. H. Vereor Domine, si isthæc seculares perspecta haberent, in offendiculo fore. D. Tantam adhuc in laicis ac secularibus perspicies deformitatem, tantaque vitia, vt non sit necesse alios culpam alios reijcere, cum in singulis quibusque culpa hæreat.

Vera perfectio & sanctitas vbi consistat.

De Imperatoribus & Regibus.

CAPVT XV.

DEVS: Adspice iam eorum, qui in sublimi dignitate sunt constituti, nempe Imperatorum & Regum, atque coniugum eorum, fastum & superbiam. Olim si quis electus fuisset, magno studio sese opponebat, quod ex animi humilitate principatu indignum se arbitraretur. Electus autem in Rom. Imperatorem, inuitus quidem summa cum modestia, humilitate ac timore Regni gubernacula sumebat: persuadensq; sibi se ea ex causa Christianum feruum esse, corpus, animam, diuitias, facultates & honorem suum Deo offerebat, eiusq; frequenter

us ope, pacem & concordiam in Ecclesia curabat efficere, etiam vtiliter & audenter ob id decurtando ac belligerando, corpusque & animam pro iustitia tradendo, ac Deo offerendo. Itidem & alij Reges sese gerebant. Sentiebant tum amare se Deum, atque in omnibus agendis ac omit- tendis tam ipsi, quam vxores eorum tantam præ se ferebant modestiam ac humilitatem, vt Deus ipse delectaretur. Iam verò in longè diuersam partem mutata sunt omnia: ex quo perspici facile potest, vt hodie modis omni- bus atque in omni statu, à verò ordine & iusti- tia aberratum sit. Videlicet ipse iam cernis, quam isthæc itinera profus abolita, neglecta, atque euerfa & obruta sint.

De Ducibus, Comitibus, & Baronibus.

CAPVT XVI.

DEVS: Intuere etiam, qualem hac tempe- state Duces, Comites & Barones eorum- que vxores vitam agant. Quondam cor- pus vitamque suam periculis obijciebant ob honorem Dei, vt Ecclesia & ipsorum subditi, pace & tranquillitate fruerentur: ineratque eis diuina quadam & cum honestate coniun- cta strenuitas, nec humana deerat industria ac diligentia: coniugesque eorum tam bene moratae; humiles ac modestae, tamque incul- patæ vitæ erant, vt quisquis siue eis, siue ea- rum maritis ad fuisset, maximoperè ad melio- ra incitaretur, puderetque eum quicquam ini- quum aut bonis aduersum moribus, admittere.

Nulla

Duces, Co-
mites, Baro-
nesque olim
pro Dei ho-
nore quam
strenui.